

fatus dominus Gregorius apostolicus papa dixit: 'Reduco ad animum, sanctissimi fratres mei, qualia mihi et quanta mirabiliter Christus deus noster contulerit bona et quomodo me indignum ad tanti apicis sua pietate dignatus fuerit evocare <fastigium>¹, et stupeasco nihil aliud valens retribuere potentiae eius nisi solas agere gratias et indesinenti prece gloriosum eius conlaudare nomen. Quis² enim, ut ait propheta, loquatur potentias domini, auditas faciat omnes laudes eius? Vel quid³ retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Ergo⁴ dilectissimi fratres pro quibus indignus promerui bonis, si sanctitati vestrae placet, secundum sacrorum canonum instituta per Dei gratiam inspiratus <decernam>⁵, ut sanctorum festa celebrentur in oratorio⁶, quod a me constructum est in honore Salvatoris, sanctae Dei genetricis semperque virginis Mariae dominae nostrae, sanctorumque apostolorum, martyrum quoque et confessorum Christi, perfectorum iustorum, intro ecclesiam sancti Petri apostolorum principis et ut tria⁷ monasteria, quae secus basilicam apostoli sunt constituta, sanctorum Iohannis et Pauli, sancti Stephani et sancti Martini, id est eorum congregatio omnibus diebus, dum vespere⁸ expleverint ante confessionem illic declinantes tres psalmos et evangelia matutina Deo canant. His expletis presbiter, qui in hebdoma⁹ fuerit, post prima quae in sacro corpore beati Petri fecerit missa, secunda¹⁰ in eodem oratorio in honore Salvatoris, Dei genetricis, sanctorum apostolorum, martyrum et¹¹ confessorum, perfectorum iustorum, quorum natalicia fuerint, assidue¹² a catholica¹³ et apostolica ecclesia celebrentur, sicut a nobis coram beati Petri corpore confirmatur, et orationes, ut inferius tenentur adscriptae dicantur sic:

Concede quaesumus omnipotens Deus ut sancta Dei genetrix sanctique tui apostoli et omnes sancti martyres ac¹⁴ confessores perfectique tui iusti nos ubique lactificent, ut dum eorum merita recolimus patrocinia sentiamus, per d. n.

Super oblata. Oblatis¹⁵ quaesumus domine placare

1) 'fastigium' add. *De Rossi*, om. LMVS. 2) *Psalm 105*, 2 ed. Tischend. 3) *Psalm 115*, 12 f. 4) 'ergo' incipit *tabula secunda et codex S.* 5) 'decernam' inseruit *De Rossi*, om. LMVS. 6) 'oratorio' V. 7) 'ut tria' MV (*coniecit De Rossi*); 'ultra' S. 8) 'vesperas' S; 'vesperos' MV. 9) 'hebdoma' S; 'ebdoma^{te}' M ('te' man. 2); 'ebdomada' V. 10) 'secundam' MV; 'eundem oratorium' S. 11) 'et' S, om. MV. 12) 'assidut' S. 13) 'catholicae et apostolicae ecclesiae' MV. 14) 'ac' MV; 'et' S. 15) 'per d. n. Super oblata. Oblatis' scripsi; 'd. n.' om. MV; 'oblata' om. S *verba inde a 'super oblatis' usque ad 'periculis per d. n.' hoc loco omissa post 'celebrantes' (p. 246, 7) exhibens.*